

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> ACADEM<sup>I</sup>CA  
ARGUMENTUM PRO EXI-  
STENTIA DEI EX CONSENSU  
GENTIUM DESUMTUM  
EXAMINANS,

QUAM<sup>772</sup>  
R.

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. REG. ACAD. ABOENSIS,  
*Publicæ Disquisitioni subjiciunt*

SAMUEL CASTRÉN,

PHIL. MAG.



ET<sup>772</sup>

CAROLUS REIN,

STIPEND. REG.

OSTROBOTNIENSIS.

IN AUDITORIO<sup>R</sup> MAJORI DIE XX. OCTOBRIS

MDCCCLXC.

H. A. M. S.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.





§. I.

**A**rgumenta pro existentia Dei probanda *Historica* non ea tantum appellari videoas, quæ ex contemplandis originibus, incrementis & fatis rerum publicarum, artium, scientiarum, omniumque ad usum & commoditatem jucunditatemque vitæ humanæ inventarum rerum sumuntur, unde concluditur mundum hunc æternum non esse, sed a summo quodam & perfectissimo Numine olim fuisse conditum; verum eadem appellatione, omnia quoque alia solent argumenta notari, in qvibus formandis Historia nobis opem fert: quo etiam referunt illud quod a *Consensu gentium* petitur, quoque Deum creatorem & gubernatorem omnium rerum esse colligitur, quoniam omnibus gentibus omnisque generis hominibus ita visum fuerit ac etiamnum videatur. Argumentum hocce quid ad existentiam Dei demonstrandam valeat, plures Eruditorum tam veteris quam recentioris ævi examinasle, in tantaque varietate & dissensione de vi ejus demonstrandi fuisse intelligimus, ut cum alii firmitatem illi tribuentes indubiam maximi pretii illud haberent, alii rei veritati antea argumentis gravissimis probatae novum robur addere cupientes, magnoque rationum struendo quasi cumulo illam

A

red-

reddi validiorem putantes, pro argumento tantum secundario vel quasi additamento illo usi sint, alii demum, pauciores licet, sua vi illud penitus privare studuerint, nulliusque momenti aut ponderis existimaverint.

Cum jam Doctissimi viri diversa adeo senserint de re digna tamen quæ in ambiguo non ponatur, neque existentia Dei vagis & ficalneis rationibus demonstrari debeat, quo ipso adversariis arma, quibus veritatem impugnant, subministrantur, resque non dubia infirmitate argumentorum dubia evadit; nobis, attentionem in illa persequenda defigentibus, dissertationemque quandam speciminis litterarii loco edituris, hujus examinandæ materiae consilium in mentem venit. Cui rei dum immorramur, speramus fore, ut Lectores Beneyoli, quorum docto meditationes nostras submittimus Judicio, severam deponentes censuram mitiori juveniles hosce conatus vultu animoque adspiciant.

## §. II.

In ipso vero dissertationis nostræ limine Historiam argumenti tractandi paucis percurrere, & ad Judicia tam veterum quam recentium quorundam Eruditorum de eo lata, animum advertere placet. Cuinam prima ejus inventio sit tribuenda, nobis quidem Historia nulla dedit certa indagandi vestigia, ita ut ne conjiciendo quidem rem dubiam assequi valeamus; Certum tamen est, illud antiquissimis deberi originibus, & inter prima a Philosophis ad existentiam Dei probandam numerandum esse argumenta. Cujus etiam rei ratio facile dari potest: Prisci nempe Philosophi caussam cur Deos existere vulgo crederetur investigantes, persuationem hanc atque ideam illorum qualemcumque ad omnes sibi cognitas gentes pro-

page-

pragatam fuisse, mox viderunt; quem universalem adeo  
 Nunquam sensum vanum esse omnesque fallere homines,  
 credere difficulter poterant, sed rei potius veritatem probare &  
 ut argumentum illius firmum spectari posse, censuerunt.  
 Sic apud PLATONEM<sup>(a)</sup> hocce demonstrationis genus non in-  
 ferius habeti videtur altero ex contemplatione terræ,  
 solis, siderum ipsiusque universi, ac temporum ornatissi-  
 ma varietate annis mensibusque distincta, deducto, quo  
 posteriori ad veritatem hanc firmandam sepe utitur.  
 Consensum omnium gentium de re aliqua, rationem ad  
 veritatem ejus probandam firmam habuit quoque ARI-  
 STOTELES<sup>(b)</sup>; qua de causa hoc eodem arguento usus fe-  
 dem Deorum in coelis esse docet, & ibidem quasi in  
 transcurso notitiam quandam vel ut vocat eam  $\pi\alpha\lambda\eta\psi$ ,  
 omnes de Diis habere homines, illamque, quantum qui-  
 dem ex scriptis ejus colligere licet<sup>(c)</sup>, divinitus ipsis da-  
 tam, omnibus licet aliis scientiis & artibus deperditis &  
 saepius inventis, seryatam tamen esse censuit; quamvis  
 nobis certo non constet eum ad existentiam Dei proban-  
 dam tali ratiocinio directe usum fuisse. Primus tamen  
 inter veteres, quantum quidem ex scriptis eorum super-  
 stitibus colligi possit, illud maxime laudavit EPICURUS.  
 Statuens namque innatas notiones Deorum inesse homi-  
 nibus, sensum & reverentiam Eorum non solum omnibus  
 esse communem, sed etiam existentiam illorum hoc  
 uno arguento optimie demonstrari, autumat: quam sen-  
 tentiam *Vellejum*, asseclam hujus Philosophi acerrimam,

A 2

mul-

(a) *De Legibus* L. X. (Vol. IX. p. 67. seqq. Edit Bipont.)

(b) *De Cœlo* L. I. C. III.

(c) *Metaphys.* L. II. C. VIII.

multis exponentem inducit CICERO (d). Hanc notitiam mortalium omnium adeo alte occupare mentem putavit PLUTARCHUS (e), ut urbes carentes muris, litteris, regibus & sic porro inveniti, templis vero *Diisque desitutas*, quæ precibus, jure jurando, oraculo non utantur, non bonorum caussa sacrificent, non mala sacriss avertere nitantur, neminem unquam vidisse, afferat. Similiter MAXIMUS TYRIUS (f) Philosophus Platonicus legem de cognitione non solum Deorum sed etiam unius Dei, regis omnium & patris, omnibus communem esse affirmat. CICERO, cuius tempore argumentum hoc, ut ipse dicit, omnibus commune fuit Philosophis, illud plerumque ut firmum ad fert cur Deos esse credatur, notitiam illam ubivis gentium

(d) *De Natura Deorum* L. I. C. 16. & 17. *Solus* (Epicurus) inquit, *vidit primum esse Deos, quod in omnium animis hominum notionem impressisset ipsa natura.* Quæ est enim gens, aut quod genus humanum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum? quam appellat προληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec queri, nec disputari potest. Cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est esse Deos, quoniam insitas Eorum vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est.

(e) *Adversus Colotem*. T. II. p. 1125. (Ed. Francof. 1620 fol.)

(f) *Dissert. I. seu Quid sit Deus secundum Platonem.*

tium obviam ex ideis deducens insitis (g). Inducit tamen alio loco *Cottam Academicum*, partes lectæ agentem, cui CICERO ipse addictus erat, illud a *Vellejo* propugnatum inpugnantem, huncque de falsitate demonstrationis suæ his in primis convincentem rationibus: Opiniones omnium gentium nondum cognitas esse, quare homines immanitatem adeo efferatos, ut apud eos ne suspicio quidem Deorum sit, existere posse: multas fuisse qui naturam Deorum sustulerint, qui adhuc plures fuissent, si poenas atheismo statutas graves sese effugere posse, sperare licuisset; tantas res ex opinione rudium hominum judicare non licere, quorum nempe animi præconceptis opinionibus ita sint imbuti, ut in judiciis suis formandis ab illis toti quanti regantur (b). SENECA, etsi judicio vulgi multum non tribuit, illud tamen quum quæstio de Diis est, validum pronunciat, quæ opinio quo in primis fundamento, ipso quidem judge, nitatur, verba ejus optime declarant. *Multum inquit dare solemus præsumptioni omnium hominum.* *Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri.*

A 3

tan-

(g) *Disput. Tuscul.* L. I. c. 13. Ubi dicit: *Ut porro firmissimum hoc adferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium sit tam immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet: Omnes tamen esse vim & naturam divinam arbitrantur.* Nec vero id conlocutio hominum aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata non legibus. *Omnis autem in re consensio omnium gentium lex naturæ babenda est.* Cfr. id. *De Legibus* L. I. C. 3.

(b) *De Natura Deorum* L. I. c. 23. & 30. & L. III. C. 4.

*tanquam Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat (i).*

Neque Gentilium modo Philosophi, sed & Christianorum Doctores, & in his quidem primum patres quos vocant ecclesiæ, hoc usi sunt argumento. Persuasi veritatem hanc omnibus cognitam esse, hunc spontaneum & universalem omnium mortaliū de una eademque re consensum, firmissimum veritatis judicium putarunt. Ita TERTULLIANUS, quod apud multos unum invenitur non erratum esse putas (k), eodem ex fundamento existentiam Dei probare studuit (l). Cæcilius ex confessione omnium gentium de Diis immortalibus, demonstrantem facit MINUTIUS FELIX, ideas populi Romani de illis justissimas esse; qui & ipse ad existentiam unius Dei eadem ex ratione probandam, in colloquio ab Octavio cum illo habito, argumentum hoc valere, innuere videtur (m). Recentiores eidem huic adhærentes persuationi, plures fuerunt, quam ut omnes numerari facile queant; quod nec tractationis hujus permittit brevitas. Vestigiis insistentes veterum, vel perspicuitate sua, vel notitia quadam insita rem omnibus in confessio esse statuentes, sententiam illorum amplexi sunt plerique, ac multis ne quidem conjicere placuit, quo modo ad omnes homines hæc persuasio pervenerit; alii argumento licet ex consensu gentium laudato, de vi tamen ejus non eodem

(i) Epist. CXVII.

(k) Cfr. *De Præscriptionibus adversus Hereticos* C. XVIII. XIX.

(l) *De Resurrectione Carnis* Cap. III.

(m) *De Vanitate Idolorum* Cap. VII. XVIII. seqq.

codem modo aut æque magnifice senserunt. Sic GROTTUS alios indicat fontes, unde manaverit communis illa de summa hac veritate persuasio, & in animos hominum penetraverit: Qui utitur etiam illo argumento ut firmissimo pro existentia Divina demonstranda, quod omnes nationes vel paululum cultæ moratæque Numen aliquod agnoscant; quod vel oraculum Dei habendum vel traditioni deberi a primis humani generis parentibus in omnes vulgatae autumat; quam tamen utramque causam sive hac sive illa consensus iste gentium nitatur, veritatem hujus argumenti confirmare afferit (n).

Alii pretium huic demonstrandi generi tribuerunt nullum; quos inter præcipuum locum tuetur BAYLIUS; qui in primis rationes a Vellejo apud Ciceronem allatas pro defendenda existentia Dei ex consensu gentium petitas, agressus, nihil minus esse a fallaciis immune urget, quam opiniones a multitudine adoptatas, confessionemque gentium de re aliqua veritati firmandæ haud inservire, & quæ alia in eundem sensum disputat. Multum tamen absuit, ut posterioris ævi Eruditos in suam pertrahere sententiam omnes valeret: graviter potius taxarunt audaciam ejus BUDEUS (o) multique alii, qui vel atheorum numerum intempestivo studio eum augere, vel argumentum contra eos validum temere e medio tollere studere, criminantur. Sed hæc hactenus; Jam proprius ad proposatum revertamur.

### §. III.

In argumento vero hocce, quod persequimur, examinando, attendere nos primum oportet: quo ex fundamento

(n) *De veritate Religionis Christianæ* L. I. §. 2.

(o) *Theses Theol. De Atheismo & Superstitione* C. V. §. 1.

mento' Eruditi ad existentiam Dei probandam illud adhibere cœperint, & e quibus principiis vim ejus demonstrandi deducere soliti sint hodieque soleant? Posita veritate hujus propositionis: *quod omnes gentes & norunt & verum arbitrantur, id re ipsa verum quoque est*, simulque aslumto, omnes quæ unquam fuere & adhucdum sunt nationes, existentiam Numinis cuiusdam credidisse, nihil pronius fuit, quam huic generi argumentationis vim probandi immotam tribuere. Quum vero non ex uno omnibus fonte cognitionem hanc licet communem & ad omnibus vulgatam mundi plagas sibi visam, derivasse jam observaverimus; hac diversitate non sublata, ac ipsa re sic ad liquidum haud perducta, conclusionem inde ductam suspicioni fallaciæ manere obnoxiam, facile patet. Illam cognitionem natura cuique esse homini insitam ut doceatur, nullam aliam dari posse viam effici debet, qua ad hanc animadvertisendam veritatem mortales pervenire valuerint; quales tamen plures haberi, haud levibus aliis evicerunt rationibus. Quin totam familiam idealium hujusmodi innatarum, e Schola Platonis suas repetentem origines, ut experientiae adversantem & gratis adoptatam, plerique hujus ævi repudiarunt Philosophi, videntes non solum infantes, postquam jam ad qualemcumque rationis usum pertigerint, ante acceptam aliunde informationem omni Dei notitia carere, sed etiam plurimas gentes admodum varias maximeque sibi contrarias opiniones de summo quodam Numine fovisse & fovere, aliis eo naturam infinitam venerantibus, aliis humana parum superiorem, aliis unam adorantibus, aliis plures fingentibus, aliis sanctam & ab omnibus vitiis puram, aliis subjectam nævis immo sceleribus nefariis deditam, illam sibi efformantibus: ut uni eidemque Deo origo idealium adeo diversarum tribui haud queat, quum nihil de Eo cogitatu sit æquius, quam

\* \* \* \*

quam omnes homines eadem sui cognitione donare, si  
allam ipse mox animis eorum impressile statuatur; ut a-  
lia silentio transeam (a). Neque magis firmam eorum  
possimus putare opinionem, qui inclinationem propen-  
sionemque quandam singularem & fortissimam mentibus  
hominum afferere conati sunt, qua ad assensum propo-  
sitioni, quæ Deum esse affirmat, præ aliis æque claris  
certisque veritatibus, præbendum, quasi vi quadam tra-  
hantur. Ut enim homines sana ratione, cujus ope nexum  
rerum propositarum earumque vel veritatem vel falsita-  
tem perspicere valeant, sunt prædicti, ita postquam ad  
illius facultatis usum pervenerunt, principiaque ad exi-  
stentiam Dei afferendam pertinentia arripuerunt, etiam  
existentiam Dei animadvertere valent: quæ si fortius ac  
multæ aliae veritates mentes feriat hominum, inde hoc  
fortasse pendet, quod illum, rebelles agnoscere & colere  
Eum nolentes, poena afficere valere intelligent; quæ duæ  
ideæ a se invicem nunquam fere sejungi possunt. Idea  
hæcce de existentia Dei si omnibus innata esset homini-  
bus, ipsa sola optimum argumentum pro existentia Dei  
constitueret, neque tum ad consensum gentium adpellare  
amplius necesse esset. Qui inter Eruditos existentiam Dei  
ex consensu gentium demonstraturi, rem ipsam adeo esse  
perspicuam afferuerunt, ut omnibus in oculos mox in-  
currere eam necesse sit, hancque perspicuitatem funda-  
menti loco in demonstratione sua posuerunt; vel longio-  
rem viam argumentandi, breviori præponere, demon-

B

stra

---

(a) Cfr. Locke *Essay concerning Human Understanding*  
Vol. I. L. I. c. II. & III. qui hanc acutissime tractans materiam,  
eorum qui defensionem idearum innatarum suscepérunt  
solitas diluit objections.

strationemque facilem frustra implicare, vel infirmitatem ratiocinii longitudine ejus supplere videntur. Si enim veritas tam est evidens, ut omnibus mox pateat; quid nobis opus est ad eam confirmandam gentium consensu? vel quid novi roboris hic afferet? Nonne firmissima veritatis cuiuscunque amplectendæ ratio ipsa ejus evidentia mox habenda est? Hæc itaque, ubi invenitur, quod in hocce argumentandi genere ponitur, ad existentiam Dei nobis persuadendam sola abunde sufficit. Pari modo assertio illa, qua dicitur hanc notitiam priniis humani generis parentibus a Deo revelatam & deinde per traditionem ad posteros propagatam esse, talis est, ut res ipsa inde satis confirmetur, si doceri queat quid de se Deus illis manifestaverit, persuaderique possit hujusmodi notitiae illis communicatae formam ad nostra usque tempora incorruptam mansisse: quæ difficillima sane erunt probatu. Unde hujusmodi rationem neque solam, neque cum consensu gentium conjunctam, ad veritatem rei quæsitæ inveniendam sufficere, apparet. Quamobrem prætensus consensus hicce gentium in his casibus non modo frustra assertur, verum etiam quamcunque adductarum harum rationum implicatiorem reddit, etiamsi illæ in se validæ ponantur, aliisque igitur ut eo utantur non videri potest idoneus, nisi qui ex numero argumentorum vim eorum metiuntur, & firmissima etiam, dummodo pauca sunt, negligent parvique aestimant.

## §. IV.

Num vero id quod omnes gentes verum putant, verum quoque necessario sit, ut contendere solent Eruitorum plurimi; jam perscrutemur necesse est. Primo quidem aspectu rem quam omnes fere ratione prædicti eodem

codem se habere modo putant, haud aliter comparatam esse posse, tantamque multitudinem fallaci quadam specie vix ac ne vix quidem decipi, videri queat. Verum quoque est, ingensem hominum multitudinem nonnisi prægnanti quadam de caussa ad unam eandemque amplectendam sententiam duci. Hanc tamen causam interdum fallacem admodum, consensumque plurimorum firmis constitutum fundamentis suis, experientia non uno docet exemplo; scientiis namque & artibus crescentibus ingeniisque hominum de die in diem exacutis & saniora edocitis, res antea sine omni dubio veras habitas, falsa specie mortalibus impossibile, posterioris ævi solertior derexit sagacitas. Quales in rebus etiam Physicis multas repertiri opiniones, neminem vel paululum in Historia naturæ scientiarumque verlatum, fugere potest. Quæ verbi gratia antiquarum fuit gentium, quæ solem circa terram volvi, hancque immotam suum tenere locum, ut hodieque omne vulgus putat, non crederet, vel quæ colores e radiis pendere solis conjiceret, neque materia constare particulari colorifica putaret? Quibus tamen de rebus nostra ætas plane aliter, idque rectissime, statuit. Cum igitur in rebus sensui occurrentibus externo, quæ faciliores semper jure haberi solent cognitu, dijudicandis homines hunc in modum hallucinati sunt; mirum sane non est, totas gentes, illasque plurimas, falsam amplexatas esse sententiam in rebus abstractis, sic dictis, quarum ratione, & non nisi attenta mentis agitatione quaerenda est veritas, quaque inter quæstio de existentia & natura Dei merito numeranda est. De Numinis unitate sententia nobis jam est maxime evidens; tempora autem extitisse historia testatur, quibus omnes fere gentes plures crederent Deos: qualis opinio si non per traditionem de una gente ad alteram transiisse statuatur, cultutæ in-

genii unius fere formae atque gradus tribuenda est; quo in casu, e rebus sensibus eadem vel simili forma occurrentibus, aequales oriuntur perceptiones necessare est, quae iterum in mente aequales gignunt ideas. Consensio itaque plurium nationum de re aliqua, suspicionem quandam veri tantum importat, nunquam autem demonstrationem de veritate ejus efficere potest; qua si munita foret auctoritate, errores quibus pleraque assensum praebent nationes, pro veritatis esse suscipiendos, pronoqueretur alveo. Neque decet homines majori ingenii acumine praeditos, quorum est rerum perscrutari rationes, veritates ex nuda opinione vulgi metiri, cui plerumque neque facultas suppetit neque occasio nexum rerum, rationesque quibus continentur exquirendi, sed qui omnia fere ab aliis sibi proposita avide amplectitur, vel etiam suæ phantasiæ & præjudiciorum lusibus obsequitur. Est enim, ut dicit Cicero, *Philosophia paucis contenta iudicibus, multititudinem consalto ipsa fugiens eique ipsi & suspecta & invisa* (a). Neque jacturam quandam veritati hæc adfert cautio; quippe quæ internis suis certis & indubitis characteribus semper praedita, facile a falso dignoscitur, neque ex arbitrio suffragiisque hominum dependet.

## S. V.

Observandum porro erit, viros eruditos consensum gentium aliqua de re allegantes, non quidem totum humanum genū, nullo excepto individuo, intelligere; cum nihil vis suæ illum amittere observent, si unus aut alter, in hac aut illa gente, aliter sentiens, reperiatur & repertus sit, quorum tamen numerus exiguis sit: hoc autem ipsos

---

(a) *Quæst. Tuscul. L. II. c. 2.*

ipsoſ urgere ſcindum eft, nullam gentem exiſtere, quæ rem ignoret, & cuius maxima pars ejusdem de illa non fit opinionis. Qua autem idonea ratione ad talem cognitionem accuratam idearum, quas omnes gentes de Deo fovent, pervenire poterimus? cum omnium gentium conditionem, mores & opinions vel hodieque nos minime pernoſcere, apud omnes in confeflo fit. Quantus gentium numerus Americam, iſulas Oceani, immo etiam Africam tenentum, ſupereft, quarum regiones nemo Europæorum adhuc permeavit, multo minus de religione & opinionibus eorum accuratam & fide dignam comparare potuit atque nobis exhibere cognitionem? Neque ex gentium quarundam nobis cognitarum notitia de Deo, colligere absque dubitatione licet, reliquarum gentium in animis notionem eandem informatam eſte. Si itaque existentiam Dei ex confeſſione gentium demonstratur, ea de re argumentari velimus, nulla alia ad hanc confirmandam, rigore adhibito, qui dicitur, Philosophico, patet via, niſi ut accurata primum instituatur omnium gentium enumeratio, qua per univerſum terrarum orbem ſunt & fuerunt, illasque cunctas notitia Dei gaudere ac gavifas fuifſe, doceatur; quod fieri omnino haud poſſe, quis eſt qui non videat?

Sed uberiori hujus rei miſla diſputatione, ponamus omnes gentes cognitas nobis eſte, vel ſaltem tantam illarum multitudinem, ut ad religionem reliquarum inde pleno colligere liceat jure; examinandum nobis ſupereft qualis illa univerſe fit ac utrum ſibi ubique conveniens? vel an quævis notio, cunctis communis gentibus, Numinis qualiscunque, cui reverentia modo aliqua tribuitur, ad existentiam Naturæ illius, quam nos nomine Dei ſignificamus, ſufficiat probandam? Huic quam posteriori ſoco tetigimus ſententia, omnes fere argumenti quod ex

consensu gentium petitur patroni, sine diligentiore rei examine faverunt; vitio argumentandi non leví a PLATONIS ætate ad nostra usque tempora, sic laborantes. Alii diversitatem saepeque pugnam sententiarum de notione ac natura Numinis, nihil ad pondus ejus minuendum conferre putarunt, alii forsitan ad totam hanc questionem nihil attenderunt. Ut rei cuiusdam veritas ex communione omnium ea de re opinione aestimanda sit, saltim eatenus varii hi variorum conceptus convenire debent, ut ad minimum de iisdem ideis agatur; quo pateat, verbis similibus non aliam plane rem significari. Si enim quævis testium varietas rem aliquo modo dubiam reddit, multo magis talis, quæ præcipuum ferit rei partem, & de qua in primis quæstio instituta est, quamobrem in omnibus rebus, quarum consentiente aliorum testimonio munienda est veritas, vere hoc monetur. Ita etiam notitia de Summo Numinе, Ejus existentia & natura, apud omnes in præcipuis saltim una eademque esse debet, neque in plurimis ipsam essentiam hujus notionis constitutentibus differre; quod alioquin non de eadem re, nempe Deo, sed alia plane, quæstionem esse, patet. Quo itaque in sequentibus variarum gentium religiosas opiniones aestimare valeamus, & quatenus omnium vel quarrundam earum idea de Summo quodam Numinе tales sint ut sermonem vero de Deo esse intelligatur; notiōnem quandam fixam certamque Dei constituamus, ab omnibus assūmendam, in quibus idea Dei salva manebit. Non unicuique naturæ, quæ hominum attentionem, vel ob usum quem parit, vel terrorem quem eorum in mentem injicit, vel aliis hujusmodi ex rationibus movet, reverentiaque quadam celebratur, hoc nomen tribui potest: ex quo Divinitatis titulo, non solum quibuscumque Geniis tutelaribus, de quibus multæ gentes somniarunt, Heroi.

roibusque de humano genere immortaliter mieritis, sed & Soli, Lunæ, aliisque Planetis, Igni, Aeri, Arboribus, Lapidibus &c. divinus honos cultusque adsignandus foret, quales tamen notiones, rationis non penitus depravatae de Deo idea hand convenientes, nihil omnino ad probandam universalem de existentia Ejus fidem conferre, facile patet; verum independenti, æterno & necessario, universi hujus Auctori, Conditori & Moderatori. Omnes aliae idea, primo licet obtutu aliquam inter se conformitatem habere vise, re tamen accuratius considerata evanescunt, ad notionem Dei non pertinent. Sic exempli causa: quamvis sint gentes Solem colentes, quem ad fruges, herbas fructusque maturandos conferre intelligunt, nullam vero aliam Divinitatem, creatorem scilicet mundi admittant; Deum certe haec tamen non collunt, quoniam idea Solis ab idea Dei toto celo distat. Adeoque ex Afri hujus cultu vel religiosissimo, argumentari minime licet, Summi cujusdam Numinis reverentiam mentibus harum nationum revera infedisse; cuius quippe idea & notitia plane caruerunt.

## S. VI.

Allatis denique apponere Iubet brevem quandam disquisitionem: num tam rudes tamque barbaræ unquam in mundo, quantum quidem sciamus, existenter existantur gentes, quæ omni Divinitatis sensu notitiaque destitutæ fuerint? Qua in re exploranda, Historiam, & quidem antiquiorum temporum primum, consulere convenit. Vestigia religionis earum tantum nobis servavit Historia nationum, quæ vel ob magnas gestas res bellicas, vel culmen illud ad quod artes & scientias perduxerunt, maxime fuerunt memorabiles, quarumque hinc religio & notitia

ctia Summi Numinis non potuisse non purior esse religio  
pe aliarum ferarum minusque cultarum gentium, de qui-  
bus Historia vel nulla vel saltim tam pauca reliquit mo-  
numenta, ut in aprico non sit positem, qualis illarum  
fuerit religio. Celeberrima sane olim, & ob multas in-  
ventas artes & initia scientiarum posita *Ægyptiorum* fuic-  
tatio; quam tamen præter Solem & Lunam Numinaque  
quædam regionis suæ tutelaria, turpissimas bestias & in-  
numeras imagines, vel ad hominum vel animalium simi-  
litudinem effictas, honore celebrasse religioso, fide digni-  
testantur Auctores; neque ullus ex tot tamque claris Scri-  
ptoribus, quorum plurimi diu in *Ægypto* commorati  
funt, fataque, mores ac sacra hujus populi memoriam pro-  
diderunt, illum Opificem quendam mundi coluisse, vel  
nomen Eius designasse retulit (a). Religionem *Phœnicum*,  
artium multarum inventarum commerciique prudentis &  
lucrosi fama memorabilium, nemo Historicorum, reli-  
gionem eorum describens, creatorem gubernatoremque  
hujus universi comprehendisse, vel nomen quoddam hanc  
exprimens naturam habuisse, litteris mandavit; contra  
ex monumentis superstitionum apud ipsos nequissimarum,  
quæ nobis servavit Historia, colligere licet, perversas ad-  
modum & a nostris plane discrepantes, ideas illorum de  
Numinibus suis fuisse (b). Neque multo sanior *Chaldæo-*  
*rum* fuit religio, quorum etiam magi, ut *Herodotus* alii-  
que tradunt, superstitionissimi fuerunt & a vera de Deo  
cognitione prorius alieni, quique ipsi, quantum ex Hi-  
storia colligi potest, Opificem mundi unum penitus igno-  
ravunt; sed e contrario æternum censuerunt & testante

Dio-

(a) Cfr. MEINERS *Historia Doctrinæ de vero Deo* P. I. p.  
23 seqq.

(b) Id. Ibidem p. 63 seqq.

*Biogene Laërtio (c) Aquam, Aërem & Terram, & Diadēro (d), Sidera pro sanctissimis Numinibus coluerunt, quorum tamen ne uni quidem summum in res humanas imperium detulerunt (e). Nec mirum videri debet, minus cultas has adeo delirasse gentes, cum etiam Græci, apud quos omnia fere genera artium & scientiarum floruerunt & ad eminens erecta fuerunt fastigium, nonnisi fero admodum Deum unum caussam effectricem omnium rerum agnoscisse, inveniantur. Pelasgos nempe antiquissimos Græciæ incolas, dicit *Herodotus* (f), habuisse Deos sine nominibus, cuius rei sine dubio fuit causa, quod Lapidés informes, Arborès excelsas, Animalia miræ staturæ, Ventos, Solem & Lunam aliaque coelestia corpora, admiratione & honore religioso celebrasset (g), ad quas omnes naturas Divinitatis cuiusdam participes significandas, nomina propria adhuc non invenerant (h). Deinde cum ideæ gentis hujus paullo fierent saniores cultioresque, opinio ejus de Naturis hisce potentioribus ita mutata est, ut humanam illis tribueret formam, non tamen ut unam rerum omnium primam caussam & genitricem, sed multas, vitiis laborantes humanis, sceleribusque nequissimis deditas, adeoque & nomine & cultu Divino indignissimas, cole-*

C ret.

(c) *De vitis clarorum virorum*, proœm. N. 6.

(d) *Bibliotb. Histor.* L. II. p. 116, 117. (Hanoviae 1604 in folio).

(e) Vide MEINERS l. c. p. 74 seqq.

(f) L. II. 52. (g) HEROD. L. VIII. 41. PLATO in *Cratylō* T. III. p. 254. (Edit. Bipont.)

(h) MEINERS *Historia Doctrinæ de vero Deo* P. I. p. 167.

ret. Liquet itaque ex his breviter allatis ex veterum genitium de Diis suis notionibus nihil ad existentiam Dei probandam effici posse; cum fere nullae illis fuerint tales de Ipso ideæ, quales de Eo formandæ sunt.

Ad hodiernos populos barbaros attentes, sententiam nostram ex Historia illorum porro firmari inveniemus. Historiam Religionis illorum, quos pauci adie-  
runt Philosophi, narrationibus peregrinatorum, sapientissime  
facultate rem rite examinandi carentium fundatam, tene-  
bris quidem tam molestis plerumque esse obvolutam, ut  
haud facile sit intellectu, quid illi vere sentiant, faten-  
dum est. Homines enim, quibus idea Dei cultusque E-  
jus ex ratione & revelatione adeo est cognitus adeoque  
familiaris factus, ut sibi ne in mentem quidem veniat  
gentem quandam reperiri posse illa proflus carentem,  
omnia vel minimam hujusmodi cultus speciem habentia,  
ad cultum Numinis mox trahere, suis ideis convenienter  
repræsentare, suisque haud raro interpretamentis ornare,  
non dubitant. Sed pluribus tamen consultis ac inter se  
collatis, illis præsertim quos præjudicatis opinionibus mi-  
nus tribuere animadvertisimus, reque ipsa diligentius ex-  
pensa atque examinata, non omnino omni illam dijudi-  
candi facultate destituimur. Totam rationem egregie ex-  
plicat Illustris HEYNE. Quoties inquiens *aliquid evenit,*  
*quod terrorem aut metum injicit, aut mirationem movet,*  
*hoc barbari populi suspiciunt, venerantur, adorant.* Itaque  
*animans insolite magnitudinis, aut sollertia ingenii aut qua-*  
*cunque alia arte notabile, in primis serpentes, quorum tot*  
*sunt genera, aliud alia de causa, mirabilia, tum arboris*  
*species adhuc non vise, porro arte & ingenio humano effi-*  
*ctum alignid, et si manu ad sensum nostrum rudi, bæc &*  
*similia animos barbarorum ad letandi & exsultandi insaniam*  
*adspicere efferre solent. Nam cum politiores populi hunc ge-*  
stus,

sum, bunc affectum saltantium, prosternentium se, adorantium, ad religiones fere referant; Sollenne est omnibus fere Autoribus, ut id ipsum pro religioso cultu habeant, utque eidem, id quod inter nos haberi solet, numen aliquod propositum in illorum hominum animis esse judicent. Hinc natam arbitramur pervulgatam illum opinionem, ut barbari res inanimatas quasve sibi obvias, modo judicio delectas nescio quo, modo informi specie adumbratas, colere dicantur, interdum tanquam Deum O. M. Interdum Geniorum aut Dæmonum loco, ex ipso adeo illo genere, cuius nulla nisi ex sanctiore nostra disciplina esse potest in hominum animis notio (i). De multarum sane incultarum gentium religione talia judicia lata sunt. Hominibus vero, qui appetitum tantum suorum cœcos sequuntur impulsus, eaque solum attentione complectuntur, quæ illis in ulla quendam directe vergunt necessitatibusque suis sublevandis inserviunt, quorum vires animi limitibus adeo circumscriptæ sunt ac parum evolutæ ut omnibus ideis sic dictis abstractis careant, nec relationem quandam remotiorem cauillarum & effectuum inter se perspicere, vel ex contemplatione rerum notarum ad cognitionem aliarum ascendere valeant, quorumque in lingua hanc ob causam neque nomina res illas sensibus haud obvias designantia inveniuntur; his inquam hominibus, qualis notitia Summi esse poterit Numinis, cuius existentiam, revelationis luce destituti, nonnisi duce perspicaci Philosophia detegere possumus? Quam difficultatem jam PLATO (k) suo non ignoravit tempore, aliquie illustres deinde satis perspectam habuere Philosophi. Sunt quoque Historici, qui genti-

(i) Opusc. Acad. T. III. p. 1.

(k) in Timæo T. IX. pag. 305. (Edit. Bipont.)

bus quibusdam tam tenues animi tribuant vires, ut illas  
omni idea superioris cujuscunque Numinis, ritibusque  
cultum quendam declarantibus religiosum carere fatean-  
tur: Barbaros e. g. in *Cinolao*, *Braſiliæ* quadam parte &  
in ſulis nonnullis *Caraibicis* vitam degentes (1). Qui  
contra populi ſupra ſummaria hancce mentis humanae  
ignorantiam ſapere coeperunt, quamvis proxime tamen  
adhuc eidem affines ſint, potius ad mala quibus vexan-  
tur, quam bona quibus fruuntur, ſuam vertunt attentio-  
nem. Ad cauſas itaque illorum perſcrutandas proniores  
ſunt

(1) Cfr. ROBERTSONS *History of America* T. II. L. IV. p.  
184 ſeqq. (Edit. 5:tae.) Quo RIBAS apud eum de Reli-  
gione gentis *Cinolao* p. 470, pronuntiat exempli loco hic  
apponere lubet: *I was extremely attentive (inquit) du-  
ring the years I resided among them, to ascertain whe-  
ther they were to be considered as idolaters, and it may  
be affirmed with the most perfect exactness, that though  
among some of them there may be traces of idolatry,  
yet others have not the least knowledge of God, or e-  
vers of any false deity, nor pay any formal adoration  
to the Supreme Being, who exercises dominion over  
the world; nor have they any conception of the provi-  
dence of a Creator or Governor, from whom they ex-  
pect in the next lif the reward of their good or the  
punishment of their evil deeds. Neither do they public-  
ly join in any act of divine worship.*

sunt quas cum oculis sensibusque detegere non valeant, effectus tales ignotis & occultis Naturis tribuunt. Sic fulminum, procellarum, terræ motuum aliorumque similiūm phænomenorum, quæ illos vel terrent, vel lœdunt imo saepe mortem eis inferunt, auctores tales habentur rebus ipsis inclusæ naturæ, quas iracundas vindictæque cupidas fingunt, adeoque ne sibi noceant, eas modo votis & muneribus, modo victimis cruentis, saepe humanis, placare & adorare student. Hac etiam ex causa Fulmen tantum Brasiliiani quidam colere solent, neque nomen aliud superiorem quandam Naturam designans, nisi idem quo fulmen denotant, notum sibi habent; ut etiam Cemis, apud Caraibas aliquos auctor omnium habitus malorum, nullam ob aliam caussam honore est affectus, nisi ut furor ejus tali sedaretur cultu *m*). Quod oppido docet, non modo has notiones innatas hominibus non esse, sed neque ad cognitionem cultumque Numinis omnino pertinere.

Gentes denique Barbaræ ad majorem evectæ ingenit cultum, a cultu licet vero & humanitate longe adhuc remotæ, res etiam usum sibi insignem adferentes mirantur, illasque quodammodo adorant. Sic ingentem sine dubio Solis ob usum cultus hujus Sideris multis adoptatus fuit nationibus, cui vel soli vel una cum Luna & Astris aliis cultiores etiam gentes plurimæ honorem tribuerunt; quo

et de veteribus *Babyloniiis*, *Persis* aliisque constat, & de populis *Floride*, *Natchez* & *Bogota* dictis, peregrinatores testantur: quorum quidam templo quoque illis exstruxerunt, variis ornamentis illa decorarunt, per sacerdotes vel ministros sacra iis fieri curarunt, sacrificiaque vel cruenta vel incruenta imo etiam humana, iis obtulerunt (n). Hęc consilia omnium fere religionem complectuntur gentium barbararum Americae; & si quędam notionem aliquam Auctoris & Gubernatoris habere hujus mundi videntur, adeo tamen exigua illa atque confusa est, ut parum ultra humanę naturę similitudinem illam exaltare valeant: quare & humana illum plerumque, aut ineptiore etiam, fingunt esse forma, functionesque illi tribuunt turpes ac etiam nequissimas. Cujusmodi opiniones mentibus obversantes barbarorum, indignas quę de Deo fo- yeantur, ac ne speciem quidem honestę habentes religionis, ad summum nullo jure transferri Numen, nemini non apparebit.

(n) Id. Ib. & CHARLEVOIX *Histoire generale de la N. France*.  
L. I. p. 42. 43 (Paris 1744, 12:o).